

erat : in primis collapsos mores erigendos , veterum disciplinam instaurandam , abusus prorsus excindendos ; Cardinalium eligendorum , ac Pontificis Maximi creandi aliam iniri rationem oportere , qua gentium omnium suffragiis in summo dignitatis fastigio excellentes virtute viri constituerentur . His consiliis Cardinalis Lotharingus , qui a Carolo cum triginta Episcopis ex Gallia missus fuerat , favere videbatur ; atque eventum erat , ut , nisi de reformatione ageretur , re minime perfecta , Concilium dimissum iri plerique existimarent . De iis a legatis Patres edocti , cum nil funestius discessione arbitrantur , Pontificem certiores faciunt : *Non ignorare se , quantum christianæ reipublicæ , pontificiæ dignitati , atque Italiæ in primis ea consilia adversa sint : non deesse qui pontificatum per tot annos Italos obtinere ægre ferant , atque ad Transalpinos transferre obducta pietatis specie conentur : quo quid Italiæ acerbius contingeret , quam si eo decore exuta , externorum imperia perpeti cogatur ? itaque enixe contendendum , ne quidquam prisca instituti immutetur . Quod vero ad mores instaurandos , ecclesiasticam disciplinam restituendam attinet , ambigi non posse , id in primis turbulentis hisce temporibus , quibus , dissolutis omnis severitatis , ac modestiæ nervis , cuncta licentia , ac libidine diffuerent , admodum necessarium esse . Itaque in eo Pontifici elaborandum maxime , nulla re magis , faciliusque cunctorum ora obstructum iri , quam si , veteri virtute excitata , effrenes ecclesiasticorum mores coerceret , labantia , ac fere prolapsa instituta in pristinum statum revocaret .* Hæc a Pontifice cum libenter audirentur , multa ad pravas consuetudines tollendas , sarcinendamque Ecclesiasticam disciplinam decreta edita , nihil de sacrorum comitiorum ratione immutatum . Qua in re egregium Senatus studium in Pontificis Maximi auctoritate , ac dignitate tuenda exitit , tum ob jam inde ab urbis initiis erga Sanctissimam Sedem obsequium , tum , quod in ea retinenda non modo religioni , sed etiam Italiæ libertati , ac dignitati consultum maxime arbitraretur ; ejusque retentiæ , ac defensiæ laudem Reipublicæ Venetæ præfertim acceptam se referre Pius crebris sermonibus usurpavit , clarissimisque argumentis testatus est .

At in Gallia Avaricum , Biturigum oppidum , regii capiunt ;
Ro-

*Regiorum
progressus
in Gallia .*